

Zeitschrift: Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie

Band: 18 (1904)

Artikel: De philosophia culturae [Fortsetzung]

Autor: Fischer-Colbrie, Augustinus

DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-761654>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 23.07.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

naturwissenschaftlichem und philosophischem Gebiete bei diesem Spötterberufe zu bleiben, dagegen die Hand zu lassen von einer Kritik der Sprache, des Denkens und der Logik: einer Kritik, die sich in den denkbar schreiendsten Widersprüchen bewegt und zuletzt alles Verstehen und jeden Sinn, also auch seiner geistreichen Spötttereien als reine Illusion erklären müßte. Denn disputiert man einmal das Zwischenglied von Sensation und Wortschall — den Sinn der Worte, die allgemeinen Begriffe — hinweg, so bleiben eben nur die unmittelbaren, untersprachlichen, individuellen Sinneseindrücke und der sinn- und gedankenlose Schall der Worte zurück. Warum schreibt dann Fritz Mauthner dickleibige Bücher, wenn er uns im Grunde nichts anderes mitzuteilen vermag als die Sinneseindrücke von — Druckerschwärze?



DE PHILOSOPHIA CULTURAE.

SCRIPSIT

AUGUSTINUS FISCHER-COLBRIE,

S. THEOL. DR., PROTONOT. AP. AD INST. PART., PRAELATUS DOM. SS.

(Sequitur. Cf. vol. XVII. p. 455. et XVIII. p. 63.)



Cap. VIII.

De progressu culturae.

Summarium: 1. Definitio progressus. — 2. Quaestio, utrum semper obtineat. — 3. Optimismus moderatus: Ratio cosmologica. — 4. Ratio ethica. — 5. Ratio psychologica. — 6. Ratio historica. — 7. Ratio theologica naturalis. — 8. Ratio theologica supernaturalis ex antiquo Test. — 9. Eadem e Novo Testamento. — 10. Ideale Christianum progressus. — 10. Solatium e doctrina Christiana de progressu.

1. *Definitio progressus culturae.* Progressus culturae est successio status perfectioris post imperfectiorem; quae perfectio autem mensurari debet secundum criteria capite VI. exposita.

Progressus possibilis est in cultura obiectiva et obtinet, si bona cuiusdam societatis culturalia crescunt; item

possibilis est in cultura subiectiva et obtinet, si membra societatis per rectam bonorum culturae distributionem in iis magis et melius participant.

2. *Quaestio* de progressu iam emergit, utrum iste semper obtineat. Per demonstratam in cap. VII. contingentiam culturae haec quaestio fors videbitur in sensu negativo iam soluta; si enim cultura contingens est et in multis a libertate humana pendet, poterit aequaliter crescere et minui.

Ita tamen nondum est; e demonstrata contingentia culturae nondum sequitur indifferentia evolutionis culturalis ad progressum in melius et regressum in peius.

Quamquam enim adest libertas ad culturam ita vel aliter ulterius exercendam, tamen cogitabile est, non adesse electionem inter advehendum stadium melius aut peius, sed tantummodo inter diversa stadia meliora, quae ab invicem aut gradu in iisdem bonis generatim aut in praferentia quorundam bonorum speciatim differre possent.

Qui asserunt, electionem revera tantum ad stadia meliora exsistere, optimistae progressus vocantur et quidem eo magis optimistae exaggerati, quo minus proni sunt ad concedendas quasdam exceptiones.

Optimismus autem quidam moderatus asserit, progressum quidem in melius generatim et ordinario exsistere, regressum autem in peius tamen quandoque obtinere.

3. *Respondemus optimismum moderatum* esse verum. Mutationes enim status culturalis generatim et ordinarie versari in linea ascendi, multo cum solatio sequentibus rationum momentis probamus: ratione cosmologica, psychologica, historica, theologica naturali, eademque supernaturali tum ex Antiquo tum e Novo Testamento.

Ratio cosmologica desumitur e progressu in melius et perfectius, qui in toto universo aperte conspicitur. Ipsa cosmogonia et terrena biogonia ostendit talem progressum universaliter obtinere; unde per analogiam cum probabilitate saltem ad humanum quoque in re culturae progressum ordinarium concludere licet.

4. *Ratio ethica*. Homo naturaliter tendit ad bonum, ita ut vel ipsum malum nonnisi sub ratione boni appetere queat. Atqui nullomodo concedendum est, rationem humanam usque adeo esse obcaecatam, ut error ille quo malum pro bono habetur, sit vel fiat communior agnitione veritatis.

5. *Ratio psychologica.* Quaedam bona culturae, ubi semel inventa sunt, vix ac ne vix quidem possunt interire. Haec igitur, ubi acquiruntur, pro semper thesauro culturae humanae accrescunt eumque in perpetuum augent. Talia bona sunt illa, quae homini utilitatem quandam omnibus evidentem praestant, uti inventiones technologicae et similes ad culturam intellectualis et oeconomiam pertinentes. Imo dicendum videtur, culturam eo certius debere in his progredi, ad quo altius stadium iam pervenit.

6. *Ratio historica* his accedit, in quantum testimonio suo a posteriori confirmat, quae argumento ethico et psychologico a priori statuimus.

Et confirmat quidem rationem ethicam, docendo in aliquibus saltem virtutibus magnum et fere iugem progressum a multis saeculis obtinere, uti e. g. in iustitia distributiva (politica et iudiciali), in mansuetudine, clemencia etc.

Confirmat historia item argumentum psychologicum progressus, testando bona culturae generationum priorum plerumque in posteros transire et maxime quidem bona culturae intellectualis, in quantum ad commoditatem materiale huius vitae tendunt.

7. *Ratio theologica naturalis* quoque suadet, genus humanum moveri generatim in linea ascendiendi, et quidem praecipue quoad culturam ethicam et religiosam.

Deus enim creavit mundum bonum; et si hic mundus historiam habet, haec historia nil aliud esse potest, quam evolutio directa per Deum Optimum Maximum.

Ipsa igitur providentia divina exigit cursum ascendentem culturae humanae, optimismum igitur saltem illum quem dicimus moderatum.¹

¹ Cf. Stein, o. c. 343. „Der materialistische Pessimismus sieht im Weltenschauspiel nur eine öde Farce oder eine wirre, tolle, zusammenhanglose Tragödie, der teleologisch gerichtete Optimismus hingegen sieht überall Plan und Ordnung, Sinn und Zweck. Das Weltendrama erscheint hier als eine symphonische Komposition, der tragische Einschlag nur als Erhöhung der Kontrastwirkung, der Schlußeffekt muß ein erlösender, beglückender sein. Der Refrain »und alles war sehr gut« muß sich auch zum Schluß wiederholen; denn der Autor dieses Weltendramas ist das Gute selbst: die Gottheit. Dem religiösen Optimisten erscheint demnach die Welt als planvoller Schöpfungsgedanke, und die Menschheitsgeschichte als das sinnvollste, vollendetste Gedicht des göttlichen Weltpoeten.“

8. *Revelatio supernaturalis* luculentius huic documento addit testimonium.

Antiquum testamentum enim

a) iam in describendis mundi primordiis refert nobis progressum illum cosmogonicum in hexaemero, e quo per analogiam argumentum quoddam probabile pro humano progressu construximus (num. 3.).

b) relato magno illo lapsu protoparentum revelatio statim immittit germen progressus in pectora hominum per Protoevangelium spei Messianae (Gen. 3, 15). Ita iam centrum omnium cogitatum et desideriorum defigitur in redemptione futura, ad quam omnes tendere debent.

c) Tota historia Antiqui Testamenti est historia laeti et optimistici progressus huius ideae Messianae, in dies clarioris revelatae, melius intellectae, citius realizandae.

Et ita Antiquum Testamentum non est religio pessimistici luctus de amisso praeterito sed potius religio optimisticae spei de acquirendo futuro.

9. *In Novo Testamento* adest campus et incitamentum laboris culturalis in dies excelsioris pro toto mundo usque in finem saeculi.

a) Pro omni individuo adest programma adipiscendae propriae perfectionis in imitatione Christi; consilium proinde progressus spiritualis nunquam omnino permeandi. Quo magis enim quis in sanctitate progreditur, eo fit humilior, eo longiorem adhuc conspicit viam virtutum sibi patere.

b) Adest item invitatio ad veram religionem penitus intelligendam, et ita incitamentum ad nunquam plane terminandos labores philosophicos; uti s. Hilarius De Trinit. l. II. n. 8. quoad mysteria fidei hortatur: „Haec credendo incipe, percurre, persiste; et si non perventurum sciam, gratulabor tamen profecturum. Qui enim pie infinita persequitur, etsi non contingat aliquando, semper tamen proficiet procedendo.“¹

c) Adest invitatio ad laborandum pro conversione totius mundi ad veram fidem et bonos mores; et in hac invitatione stadium plane immensum patet laboris pro veritate, porro in rebus moralibus et socialibus.

¹ Cf. Summ. c. gent. I, 8.

d) Adest motivum charitatis laborandi pro felicitate omnimoda generis humani — et hic iterum aperitur immensus campus culturae exercendae.

10. *Ideale progressus Christiani* igitur est, ut vera cultura quam magis se evolvat, servata proportione dignitatis et necessitatis singulorum obiectorum.

Pro fundamento igitur in proseundo progressu semper ponatur cultura essentialis et absoluta: vera religio et cetera bona necessaria fiant prorsus communia omnibus; cetera vero bona accidentalia et relativa accedant, quantum opus est ad culturae essentialis stabilitatem ac ornatum, maioremque hominum iam in terris obiectivam felicitatem.

Et ita cogitabilis est progressus culturalis plane *in infinitum*, si hoc syncategorematice intelligimus, i. e. ita ut dicamus: non potest sive individuum sive societas ad tantum perfectionis gradum pervenire, ut nulli ulteriori progressui locus sit.

11. *Solatium magnum* omnes progressum amantes ex hac de eo doctrina christiana haurire possunt. Sciant enim omnes Christiani oportet, se nullatenus in cassum pro proprio vel communi progressu laborare. Sunt enim cooperatores Dei in realizando fine finium: gloria divina et salute hominum. Nec permettit Deus providentissimus labores pro terra fore omnino in vanum, nec fraudabit iustissimus Iudex et misericordissimus Pater aeterna mercede labores suorum cooperatorum.

Cap. IX.

De defectibilitate culturae.

Summarium: 1. Status quaestionis. — 2. Optimismus absolutus. — 3. Reicitur a priori. — 4. Item a posteriori. — 5. Destructibilitas hodiernae culturae. — 6. Successio progressus et regressus: theoriae variae exponuntur et — 7. Crisi subiciuntur. — 8. Conclusio.

1. *Status quaestionis.* Capite praecedenti ostendimus, in re culturali generatim progressum obtinere et saltem illum optimismum, quem dicimus moderatum, verum esse. Nunc ulterius quaerimus, utrum ille progressus plane sine omni exceptione obtineat, an vero tamen talibus exceptionibus locus sit, in quibus cultura non progrediatur, imo etiam deficiat. Et ideo quaestio est hic de culturae defectibilitate.

Iugem et necessarium progressum quidam asseruerunt, quorum theoriam dum optimismum exaggeratum nuncupamus, nos eam non probare iam satis innuimus.

2. *Optimismum absolutum* statuerunt e rationibus idealisticis, ne dicam phantasticis quidam enthusiastae progressus exeunte saeculo XVIII. et ineunte XIX. uti Kant, Condorcet, Pestalozzi, Schiller;¹ e recentibus Strada.²

Recentiores autem quidam eundem per theoriam adaptationis semper perfectius obtinentis fulciri contendunt. Ad quos plurimi evolutionistarum pertinent.

3. *Optimismus absolutus reicitur a priori* hac consideratione: Homo est capax erroris et quidem maxime in rebus, quae cum moralitate cohaerent; imo potest peccare non obstante vero iudicio de malitia actus committendi. Hinc possibilis est decadentia moralis in individuo; porro eadem decadentia moralis est possibilis etiam in individuis multis; quod si in aliquo casu de facto obtinet, omnino dicere debemus, illam societatem subiisse decrementum culturae ethicae.

Porro decadentia culturae moralis multorum individuorum alicuius societatis post se trahet etiam decadentiam in ceteris culturae elementis. Laxabuntur vincula socialia: familia destruetur per luxuriam et egoismum et e destructa familia magnum detrimentum capiet futurae generationis educatio moralis et socialis, laxabitur vinculum sociale civitatis per fastum potentium et inobedientiam subditorum; concussions magnas subbit vita oeconomica; nascetur pauperismus et proletarismus, qui plurimos civium omni fere cultura privabit.³

Et non tantum causae intrinsecæ possunt talem decadentiam culturae producere, sed etiam causae extrinsecæ, scil. violentia populi alterius barbari, sed fortioris.

¹ De quibus cf. Barth, Zur Frage des sittlichen Fortschritts l. c. p. 75. et W. Schneider, Göttliche Weltordnung. Paderborn 1900. p. 257.

² La loi de l'histoire. Paris 1894.

³ P. Félix l. c. I, 29: „L'humanité en poursuivant le Progrès peut s'égarer; elle ne s'égare que trop. Comme un homme appelle vérité ses erreurs et vertus ses vices, l'humanité peut appeler Progrès ses marches rétrogrades. Ce qui est fatal, en elle, c'est la recherche du Progrès, ce n'est pas le Progrès lui-même. Le rêver, l'appeler, le poursuivre, c'est sa nécessité; mais l'atteindre ou le manquer, en un mot monter ou descendre, c'est sa liberté.“

Et per talem violentiam extrinsecam fere omnes partes culturae possunt interire, etiam scientifica et artistica.

Unde iam a priori sequitur, culturam aliquam partiale (i. e. alicuius societatis particularis, v. g. populi) esse decrementi capacem tum e rationibus intrinsecis depravationis moralis, tum e ratione extrinseca violentiae alius populi.

Unde ulterius inferimus, etiam culturam totalem generis humani esse decrementi capacem; nam ea e culturis partialibus singulorum populorum componitur.

4. *Falsitas optimismi absoluti a posteriori* quoque per historiam confirmatur. Nemo enim negabit, culturas antiquae Aegypti et Asiae anterioris in illis ipsis regionibus interiisse, honestatem antiquam Romanorum aevo Caesarum periisse, migrationem gentium maximum detrimentum culturae pro aliquo saltem tempore attulisse, victorias Mohammedanismi culturae humanae summe exitiales fuisse.

5. *De hodierna cultura Europae* in specie haec quæstio agitari solet.

Indestructibilitatem eius asserunt Gibbon¹, Du Bois-Reymond², Stein³.

Priores duo hac in specie innituntur ratione, quod desit potentia physica ad eam destruendam. Cui rationi plene assentiri non possumus; esto enim detur, populos huic culturæ extraneos, v. g. Sinenses, nunc impares esse ei destruendæ, tamen negari non potest, intrinseca destructionis elementa apud nos omnino adesse.

Stein optimismum suum superaedificat magnæ culturæ subiectivæ nostri temporis, seu possessioni culturæ intellectualis per incomparabiliter plura individua, quam qualicumque praeterito tempore. Unde concludit, culturam quam nunc millions actu possident, non posse ita destrui, ac culturam intellectualem antiquorum, quæ in aliquot centenorum hominum ingenio tantum actu residuebat.

Quæ ratio utique multum probat, sed non omnia: valet enim tantum pro aliqua culturæ parte, non autem pro cultura universim sumpta.

¹ W. Schneider, l. c. p. 257.

² l. c. p. 40.

³ l. c. p. 25 s.

Respondere igitur debemus distinguendo diversa culturae elementa.

a) cultura religiosa in Europa posset interire. Habet quidem Catholica religio divinam promissionem aeternae durationis, sed non pro singulis terris.

b) cultura moralis et socialis item posset locum cedere maiori adhuc depravationi et anarchiae.

c) cultura oeconomica per decadentiam moralem et revolutiones sociales item posset maxima detrimenta capere.

d) opera artis et adiumenta scientiae etiam possent interire saltem magna e parte in universali aliqua conflagratione.

Nec ad talem destructionem tot elementorum culturae requireretur violentia extrinseca populorum Asiae; ipsa turbulenta elementa apud nos armis terribilibus instructa inveniuntur per inventiones technologicas materiarum explosivarum.

Moraliter tamen impossibile est, culturam nostram totaliter et pro semper interire.

Catholica religio habet divinam promissionem portas inferi non esse contra eam praevalituras. Perdurabit igitur certe alicubi et amissas provincias iterum recuperabit.

Perdurabit item scientia multa, praecipue quae immediatam praestat utilitatem pro vita terrena. Moraliter enim impossibile est, in qualicumque devastatione hostili vel conflagratione anarchistica omnes omnino interire, qui aliquid de viis ferreis, de machinis vaporaceis et electricis audierunt.

6. *De successione*, qua periodi progressus et regressus se excipiunt, diversae theoriae sunt excogitatae statuentes, illas successiones semper fieri secundum aliquas leges et normas.

Ita Leibniz statuit, genus humanum progredi sursum in linea spirali, quae „inclinata resurgit;”¹ i. e. singulis phasibus progressus maioris succedere phases regressus minoris; ita ut genus humanum inter vicissitudines ascensus et descensus generatim tamen semper ascendat.

¹ Cf. Stein, l. c. 207—211.

Rhythnum socialem propugnat Herb. Spencer,¹ sub quo intelligit regularem omnino decursum arseos et theseos, actionis et reactionis cum tendentia generali in altius et melius.

Rhythnum hunc esse undulationem quandam inter idealismum et materialismum asserit Sigism. Bodnár², qui et mathematicam durationem „undarum“ determinare conatur.

7. *Critica harum theoriarum.* Legem quandam actionis et reactionis generatim quidem statuere licet, uti iam statuit J. Vico, qui primus philosophiam quam appellamus historiae systematico ordine proposuit. Asserebat enim historiam habere suos cursus et recursus (corsi e ricorsi) quibus fiat, ut una res per longius tempus exercita exaggeretur, taedium pariat et oppositi desiderium excitet, quod item veterascat et animos in oppositam partem olim derelictam convertat.³

Eventus tamen, qui culturam efficiunt, multo magis sunt liberi et contingentes, quam ut eiusmodi theoriae minutiorum applicationem ferre vel valorem universalem sine exceptione habere possint.

6. *Conclusio practica* huius capituli debet esse duplex: animus collaborandi in cultura firmando et confidentia in victoriam.

Animus collaborandi crescere debet, dum videmus labore opus esse non tantum ad augendam, sed vel etiam ad conservandam culturam Christianam.

Confidentia in victoriam per agnitam defectibilitatem culturae minui non debet: manent enim in suo vigore rationes ad iustificandum optimismum moderatum in capite VIII. expositae.

Cap. X.

De felicitate et cultura.

Summarium: 1. Ingressio. — 2. Optimismus absolutus exponitur. — 3. Idem refutatur. — 4. Pessimismus exponitur. — 5. Idem refutatur. — 6. Optimismus moderatus. — 7. Optimismus relativus et conditionatus. — 8. Optimismus partialis.

1. *Ingressio.* Capite II. num. 3. egimus de eudaemonismo culturali, qui falso statuit ultimum finem culturae

¹ Cf. ibid. p. 190.

² Mikrokosmos. Berlin 1898. — Id.: A népfajok sorsa és más kérdezések. Budapest 1900. ³ Benigni, l. c. p. 61.

humanae esse terrenam felicitatem. Attigimus ibi et quaestionem, utrum culturae progressus semper et eo ipso felicitatem hominum promoveat. De hac quaestione supersunt quaedam dicenda, nimirum inter extrema systemata optimismi et pessimismi vera sententia media optimismi relativi et conditionati est enucleanda, reiecto statim in limine Scepticismo totam hanc quaestionem dubiam relinquente.¹

2. *Optimismus culturalis eudaemonisticus absolutus* asserit, per culturae progressum eo ipso crescere hominum felicitatem non tantum obiectivam (i. e. obiecta, quibus felicitas procuratur) sed etiam subiectivam (i. e. sensum felicitatis actualis in animis hominum).

Hunc optimismum exaggeratum pauciores expressis verbis praedicant, permulti tamen in ceteris suis opinionibus tacite supponunt.

Ad hos pertinent eudaemonistae morales et culturales, de quibus capite II. egimus. Si enim felicitas est suprema moralitatis et culturae mensura et ultimus earum finis, eadem necessario debet per haec promoveri semper et ipso facto.

Item ad hos pertinent illi culturae enthusiastae, qui eam semper in ore ferunt et eius — et quidem falso intellectae — nomine exsistentem ordinem religiosum et socialem subvertere nituntur.

3. *Optimismus absolutus refutatur.* Optimismus tamen absolutus omni experientiae et etiam psychologicae doctrinae de felicitate humana repugnat.

Experientia quidem dicit uno eodemque bono in altero magnum causari gaudium, in altero plane nullum — imo fors tristitiam.

Et psychologica consideratio humanae felicitatis docet, in ea producenda tantum esse momentum subiectivae appreciationis, imo et momentaneae dispositionis, ut absurdum sit dicere mensuram bonorum culturalium possessorum esse etiam mensuram actualis felicitatis illius subiecti.

4. *Pessimismus* e contra asserit, per culturam dolores tantum humani generis augeri.

Pessimismi culturalis auctor habetur Ioannes Iacobus Rousseau.

Anno 1749. Academia Divionensis praemio publice

¹ Ita Paulsen, cf. Cathrein, l. c. I, 173.

proposito eruditos invitavit ad solvendam quaestionem, utrum progressus scientiarum et artium contribuerit ad mores corrumpendos an vero ad eos epurandos?

I. I. Rousseau in opere „Discours sur les sciences et les arts“ respondit progressum mores potius corrupisse quam epurasse. Academia vero praemium Rousseau adjudicavit, non ipsum responsum sed potius pulchritudinem styli remuneratura.

Anno 1753. eadem Academia Divionensis quaestionem solvendam proposuit: „Quae est origo inaequalitatis inter homines? Estne lege naturali auctorizata?“

Concurrebat Rousseau opere: „Discours sur l'origine et les fondements de l'inégalité parmi les hommes“. Opus hoc non quidem obtinuit praemium ab Academia oblatum, maximum tamen plausum tulit aliorum, summumque nactum est influxum in opinionem publicam.

Discursus iste aequo pessimisticus duas continet partes, quarum prior exhibet descriptionem status „originalis“ generis humani secundum phantasiam auctoris, posterior vero enarrat originem societatis civilis.

Theorias suas Rousseau tandem opere „Contrat social“ (1762) complevit.

5. *Falsitas pessimismi* evidens est; laborat enim iste triplici errore essentiali: historico, metaphysico, psychologico.

Historice falsa est imago illa, quam Rousseau de homine primaevi nobis depingit. Nusquam enim tales homines, bruta felicia, exsistunt, nec ullo modo suaderi potest, eos vel unquam in mundo fuisse.

Metaphysice falsa est theoria de felicitate brutalis et incivilis. Sistit enim hominem a natura sua impulsu ad mala, ad miseriam; homo enim interna quadam necessitate ad aliquam culturam fertur (cap. VII. n. 3), si vero haec nil nisi miseriam causaret, ipse auctor humanae naturae hominem ad id direxisset, ut quo plus faceret ratione sua impellente, eo miserius fieret. Quod omnino repugnat teleologiae illi transcendentis, quam tenere debet quis recte sentiens de Omnipotenti Numine, mundi auctore et gubernatore.

Psychologice etiam falsa est eadem theoria. Homo enim ratione agitur, ratio proponit beatitudinis obiecta voluntati, quae ea eligit et appetere incipit. Iam psychologice absurdum est humanam rationem adeo esse hebetem

et stupidam, ut talibus beatitudinis obiectis voluntatem decipiat, quorum assecutione non felicitas sed miseria oriatur.

Praeter teleologiam transcendentem, qua ipse Deus ope rationis nostrae ad bona nos dirigit, adest etiam immanens quaedam actuum nostrorum teleologia, quam ipsa nostra ratio cognoscit et in qua cognoscenda errare potest per exceptionem et hinc inde, sed non per regulam et semper.

6. *Optimismus moderatus.* E dictis patet pessimismum esse falsum, optimismum autem, si absolutus est, esse exaggeratum. Tenendus tamen est aliquis optimismus, quem dicimus esse debere moderatum, relativum, conditionatum, partiale.

Dicimus I^o optimismum aliquem, quamvis *moderatum*, esse admittendum. Cuius asserti veritas patet iam e refutatione, quam proposuimus, pessimismi. Etenim cultura per se tendit ad felicitatem et adfert etiam obiecta eius materialia; producit possibilitatem felicitatis, imo ipsam felicitatem, quam dicere possumus obiectivam; producit plane frequenter etiam subiectivam felicitatem, seu animum beatum et sensum actualem felicitatis.

7. *Optimismus relativus et conditionatus.* Dicimus tamen II^o hunc optimismum esse *relativum*.

Mensura enim propria subiectivae felicitatis non est obiectiva multitudo et magnitudo bonorum possessorum, sed potius proportio favorabilis inter bona desiderata et bona habita.

Unde sequitur unum idemque obiectum posse alium magno alium parvo alium nullo gaudio afficere; et hinc optimismus eudaemonisticus recte dicitur relativus.

Hinc III^o merito dicimus optimismum verum esse *conditionatum*, posseque hunc eius conditionatum characterem enuntiari his tribus propositionibus:

a) Si cum bonis culturae auctis simul in eadem progressionе crescunt etiam desideria: per progressum culturae felicitas subiectiva nec augetur, nec minuitur.

b) Si cum bonis culturae crescentibus simul, sed maiore cum intensione, crescunt etiam humana desideria: cum progressu culturae plane decrescit humana felicitas.

c) Si desideria humana minus crescunt, quam augentur bona culturae: felicitas subiectiva per culturam promovetur.

8. *Optimismus partialis.* Dicimus IV° optimismum verum esse eatenus partiale, quod dicat ad subiectivam hominum beatitudinem alia culturae bona aliis magis conferre. Quo sub respectu id potest generalis principii instar statui, bona quae magis necessaria sunt, causare felicitatem certius et durabilius, bona autem quae supererogatoria culturae diximus, causare felicitatem non quidem tam certe apud omnes, nec etiam tam stabiliter, sed tamen eo intensius apud eos, qui ad ea inclinantur.



LITERARISCHE BESPRECHUNGEN.

1. ***Ignaz Pokorny***, k. k. Regierungsrat, Schulrat und Gymnasialdirektor i. R.: **Beiträge zur Logik der Urteile und Schlüsse.** Leipzig u. Wien, Deuticke 1901. 170 S. 8°.

Die Schrift bespricht sehr umsichtig, mit eingehender und genauer Berücksichtigung der einschlägigen Literatur die bei den Neueren in der logischen Urteils- und Schlußlehre bestehenden Meinungsverschiedenheiten. Auf Grund seiner Ausführungen über die Glieder der Urteile fußend, will der Verfasser für die Umkehrung (Konversion) und Umwendung (Kontraposition) der Urteile „an Stelle der herrschenden Lehre, welche dafür bei jeder Art der Urteile, den allgemein und besonders bejahenden, den allgemein und besonders verneinenden eigene Regeln festsetzt, einheitliche, durchgreifende und auf das Wesen der Urteile gegroundete Gesetze aufstellen, welche verbürgen, daß das durch die Umkehrung gewonnene Urteil mit dem gegebenen stets mitgültig ist.“ Ebenso will er für die Schlüsse „den drei Figuren entsprechend — drei kurze, sowohl auf die kategorischen wie auf die hypothetischen Schluße anwendbare Regeln aufstellen, deren jede die Beschaffenheit der Vordersätze und des Schlußsatzes genau bestimmt, alle allgemeinen Schlußregeln und Merkwörter entbehrlich macht nud durch Beseitigung aller unbegründeten Beschränkungen das Gebiet der gütigen Schlußweisen beträchtlich erweitert.“

Da Ref. zu dieser Grundlage, auf der sich die Logik in vereinfachter Form erheben soll, seine Zustimmung nicht einfach hin geben kann, mögen diesbezüglich einige kritische Bemerkungen hier Platz finden:

Mit Recht vertritt der Verfasser (gegen die Existentialtheorie) die Zweigliedrigkeit des Urteils. Allein trotzdem muß doch zugegeben werden, daß in jedem Urteil ein Sein bejaht oder verneint wird. — Die Urteile (die einfachen, kategorischen) sind nicht „Verbindungen zwischen Setzungen und Leugnungen“, sondern Verbindungen, welche Setzungen und Leugnungen sind. Subjekt und Prädikat, jedes für sich genommen, setzen weder, noch leugnen sie etwas, sondern sind nur einfache Vorstellungen, und dies gilt auch dann noch, wenn eines dieser Satzglieder ein unbegrenztes oder unbestimmtes Wort wäre, wie „Nicht-Mensch“. Verfasser nennt solche Satzglieder „verneinende“ und geht soweit, „alle verneinenden Urteile als solche